

Johann Cothmann Johannes Braunjohan

Collegii Instit. Privati Disputatio XVII. De Privatis Delictis

Rostochi[i]: Pedanus, 1612

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747328870>

Druck Freier  Zugang





N. N. — 2 (139.)

1. Conradi, de voluntate testatoris dubia ob errorem in nomi-
num vel demonstratione heredis aut legatarii commissum.
2. Conradi, qua cautione de non amplius turbando in judi-
cis possessoris usu fore recepta pertractatur.
3. Conradi, de modo servando in legatorum piorum in-
terpretatione.
4. Conradi, de civitate nova.
5. Conradi de regno et tyrannide.
6. Cothmann, de delictis privatis.
7. Cothius, de venditionibus honorum.
8. Cramer, de minoratu in familiis illustribus.
9. Heineccius, qua uxor romana per propter auptias
donationem de alimentis fecura tantum.
10. Serdes, assertationes juris publici.
11. Kress, de debitis ex feudis praecipue pomeraniae sol-
ventibus.
12. Wernher, de successione in simultaneam investituram.
13. Rivin, de prerogativis auditorum cambialium pra-
citurographarum.
14. Rivin, thesium juris controversi secundum Ordinem Dig.
CXXXVIII — CXCVIII.
15. Rivin, de patre vel marito impensas in personas risue
uoris vel liberorum factas repetente.
16. Rivin, de nationis venditionis et alienationis natura
ac differentia.
17. Rivin, de praediis quae vulgo Läß - Güter appellan-
tur.

18. Rivin, de finibus juris naturalis et civilis.
19. Rivin, de eusematicis in materia possessionis et
compossessionis.
20. Rivin, debitor delicatus in contrario fiduciae judi-
cio ex mente Ulpiani ad l. xxv. D. de pign. act.
21. Clafen, de consuetudinibus.
22. Clatten, de homicidiis.
23. Clatten, de testamentis.
24. Clodius, quid patrono ecclesiae debeat minister?
25. Cludius, de publicis judiciis.
26. Cluten, de testamentis quam tam ordinandis
quam in firmandis.
27. Coecejus, de regali posterum jure.
28. Coecejus, de principio juris naturalis univo, vero
et adequato. pars prior.
29. Coecejus — — — — — pars altera.
30. Ludvig, de iure circa hypothecam de principio
juris naturae ejusdem vindicant.
31. Coecejus, resolutiones dubiorum circa hypothecam
naturam de principio juris naturae.
32. Coelestino de usufructu.
33. Coelestino de libello Lamoso.
34. Coelestino de potestate dominica veteri et hadicrona.
35. Coelestino, de potestate maritali et ^{di}matrimonialis.
36. Coelestino de potestate patris et alendis liberis.

XXX.

Hinc rei hereditariae (nisi forte ei auferatur) etc.

COLLEGII INSTIT. PRIVATI

DISPUTATIO XVII.

DE PRIVATIS
DELICTIS.

Quam

DUCE ET AUSPICE CHRISTO

Consensu & Autoritate Amplissimi in Incluta Rosarum
Academia Ordinis

SUB PRÆSIDIO

IOHANNIS COTHMAN
Lemgovienfis Westphali.


Nobiliss. & Doctiss. Dnn. Collegis

discutiendam offert

IOHANNES BRAUNJOHAN
Osnab. Westph.

Ad XVI. Septemb.

Hora & loco consuetis.



ROSTOCHI

TYPIS IOACHIMI PEDANI ANNO 1612.

*no Rect
Helwig*



REVERENDO, HUMANISSIMO
ET DOCTISSIMO VIRO,

DN. M. JOHANNI KORFINIO,
Verbi Divini ad D. Iacobum Ministro vigilan-
tissimo, Hospiti & Promotori suo
reverenter colendo:

NEC NON

SPECTATISSIMO ET PRUDENTISSIMO
VIRO,

DN. HENRICO STUVEN,
Inclytæ Reipub. Rostochiensis civi
primario, Favitori suo
suspiciendo:

*Disp. hanc inscribere voluit &
debuir*

Resp.





Continuatio.



Um Obligationes vel ex Contractu vel Quasi contractu, vel ex Maleficio vel Quasi Maleficio nascantur teste *Imp. in §. sequens 2. Inst. obligat.* & vero hactenus de prioribus duabus speciebus actum sit, consequens est ut, quomodo ex Maleficijs obligationes oriuntur, presenti disputatione dispiciamus, *Imper. in pr. Inst. de obligat. que ex delict. nasc.*

Positio I.

Definiuntur autem delicta, quod sint offensiones contra jus illatae ad poenam obligantes. *Althus. 1. Jurispr. Rom. 48.*

I I.

Et sunt vel publica, quæ proprio nomine crimina vocantur *l. 17. §. noxas ff. de edilit. edict. l. aliud fraus 131. ff. de verb. signif. Dn. Cujac. in parat. ff. de privat. delict.* Vel privata, quæ regulariter delictorum voce insigniuntur, *d. l. 17. §. noxas. & tot. tit. de privat. delict.* Quamvis interdum tam crimen pro delicto privato, *l. 1. §. 3. ff. de pen. l. 1. C. de furt.* quam delictum pro crimine sumi non inficiemur *l. §. uxor 13. §. 9. ff. ad L. Jul. de adult. Cujac. 1. Mercat. 6.*

I I I.

Privata sunt (publicis in postremam disp. reiectis) quæ privatum damnum adferunt, & ex quibus hi, ad quos ea res potissimum pertinet, privatâ seu forensi actione agunt *l. licet 42. in pr. & §. 1. ff. de procurat. d. l. 17. §. noxas. vers.*

A 2

privatis

*no Rect
Helvig*

privatus de adil. edict. l. 1. §. 1. verb. forenses. ff. de incend. ruin.
Cujac. in parat. de privat. delict. §. 8. obs. 33. Duaren. ad lit.
de privat. del. §. 1. disp. 36. 37.

IV.

Species horum quatuor recenset Imp. in pr. Inst. de
oblig. qua ex delict. FURTUM, RAPINAM, DAMNUM
INJURIA DATUM & INJURIAM.

V.

Furtum (quod an à furvo, an à fraude, an vero à fe-
rendo, vel auferendo dictum sit parum refert, cum potius
res ipsa, quam nominis derivatio nobis consideranda sit)
est contrectatio fraudulosa rei alienæ lucri faciendi gratia,
vel ipsius rei, vel usus ejus possessionisve, quod lege natu-
rali prohibitum est admittere, §. 1. b. t. l. 1. in fin. de furt.

VI.

Contrectatio itaq; requiritur. Unde solam furti fa-
ciendi cogitationem furem non facere l. 1. §. 1. ff. de furt.
animo solo furtum non fieri, l. 3. §. si rem 18. ff. de acquir.
poss. furem non esse qui solum consilium furandi suscepit
aut id se facturum jactavit. l. fugitivus 225. ff. de verb. signif.
cum Jctis recte inferimus.

VII.

In tantum, ut etiam qui furti faciendi causa conclave
intravit, nondum fur sit, quamvis furandi causa intrarit.
l. vulgaris 21. §. qui furti 7. ff. de furt. siquidem ipso facto
& assumpto actu furtum mente deducendum sit d. l. fu-
gitivus.

VIII.

Quod tamen non eò dictum volumus, quasi plenam
reiamotionem & ablationem requiramus, cum rem furti
causa saltem contrectatam esse sufficiat, §. furtum 6. Inst.
b. t. l. 7. §. sed Celsus 2. b. t.

Porro

IX.

Porro non solam veram contrectationem hic intelligimus, si nimirum intercipiendi causa res reverà amoveatur, vel ad alios usus transferatur. uti in deposito d. J. furtum 6. Pignore, l. si pignore 54. in pr. h. t. Commodato d. l. si pignore J. t. d. J. furtum. & alijs casibus aliquando contingit.

X.

Sed & Fictam, quando videlicet juris interpretatione res pro ablata habetur *Wesenb. in parat. h. t. n. 11.* Quo fit, ut falsus procurator, qui se praesente alij pecuniam numerare jubet, furtum committere dicatur l. falsus 43. J. t. 2. h. t. l. 18. l. 38. J. si debitorem. ff. de solut. Cujac. in d. J. si debitorem. ad African. & in l. 80. J. si Titius h. t. ad Papin.

XI.

Huc referimus, qui opem consilium ad furtum faciendum praestat. J. interdum 11. & qui fures & res furtivas recipit J. conceptum. Inst. h. t. l. eos 14. C. de furt.

XII.

Genera furtorum duo sunt, Manifestum, & Nec manifestum J. 3. Inst. h. t. l. 2. ff. eod.

XIII.

Illud fit, si fur cum re furtiva vel in ipso loco, ubi furtum commisit, vel antequam ad locum, quo perferre destinavit, eam transferat, deprehendatur, vel videatur. J. furtorum 3. Inst. h. t. l. 3. ff. eod.

XIV.

Quo destinaverit perferre, sic accipiendum esse. Crus Paulus monet, quo destinaverit die manere cum eo furto. l. quo destinaverit 4. ff. h. t.

XV.

Sed anne ex eo quod quis furem cum re furtiva viderit

*no Rect
Helwig*

tantum, fur manifestus dicendus sit, non usq; adeo expe-
ditum esset, siquidem *Imp. in d. §. furtorum. vers. imo ulte-
rius verb. vel visus. Inst. h. t. expresse id affirmet; Ulpia-
nus vero cum Pomponio neget. in l. 7. §. 1. h. t. Nisi Dn. Cu-
jac. 11. obs. 38. acuta sua observatione hoc disidium ita
composuisset, ut non aliter visus fur pro manifesto habea-
tur, quam si viso ad minimum acclamatum sit: Quo te
fur proripis? Quove res abit mea? aut quid simile. Quam
in rem perelegantes hosce Virgilij versiculos adducit.*

*Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidijs multum latrante Lycisca?
Et cum clamarem, quo nunc se proripit ille?
Tityre coge pecu, tu post carecta latebas.*

XVI.

Furtum nec manifestum quid sit apparet. Nam quod
manifestum non est, hoc scilicet nec manifestum est. *l. nec
manifestum §. ff. h. t.*

XVII.

An autem furem deprehensum occidere liceat hic in-
cidentally quæri potest? Et quidem *L. 12. tab. hoc in casu in-
ter furem diurnum & nocturnum discrimen fecisse satis
manifeste probat l. 4. §. 1. ff. ad L. Aquil. ita ut hunc occi-
dere permiserit, si modo cum clamore hoc testificetur; Il-
lum vero non aliter, quam si telo se defendat, ut tamen
æque cum clamore testificetur d. l. 4. l. si pignore §. 4. §. fu-
rem h. t. Cujac. 11. Obs. 27. & 19. Obs. 12.*

XVIII.

Quod & jure divino *Exod. 22. v. 2. constitutum est, uti
Cujac. d. loc. notavit.*

XIX.

Deniq; & Jus Canonicum discrimen istud approbat
in c. si perfodiens. ext. de homicid.

Distinctio-

XXX.

Hinc rei hereditariae (nisi forte ei auferatur) qui l. 1. §.

XX.

Distinctionis vero hujus elegantem rationem suppeditare nobis videtur Ulp. in l. fin. ff. de effraCTORIB. quod mirum nocturni fures atrociores, vel ut D. Augustin. in d. c. si perfodiens ait, plus quam fures sunt, atq; adeo severiori quoq; poenarum comminatione in officio continendi Cujac. 6. Obs. 8.

XXI.

Quam rationem si bene perpendamus, nec, quid ad l. furem 9. ff. ad L. Corn. de sicar. aliàs satis difficilem dicendum sit, in proclivi esse putamus.

XXII.

Efficiens furti causa est. fraudulosa contrectantis voluntas §. pen. Inst. h. t. siquidem sine dolo malo nemo furtum committit l. in furti 50. §. 2. ff. h. t.

XXIII.

Quapropter furiosum, Impuberem nisi pubertati proximus atq; adeo doli capax sit, rem alienam amovendo furtum non facere, responsum est l. impuberem 23. h. t. §. in summa 18. Inst. h. t. l. pupillum III. de Reg. Jur. Cujac. in d. l. impuberem ad Julian.

XXIV.

Cui consequens est, eum, qui putavit se domini voluntate rem attingere, furem non esse, cum dolo nihil faciat, qui putat sive falso sive verè dominum consenturum; Et è contrario verum, quoq; est, nec eum qui invito domino se facere putet, cum dominus velit, furti esse obligatum. l. inter omnes 46. §. recte dictum 7. cum seq. ff. h. t. §. placuit 7. cum seq. Inst. eod.

XXV.

Materia, circa quam furtum versatur, sunt Res, Usus, & Possessio. l. 1. in fin. h. t. §. 1. Inst. eod. Res enim sive corpus,

ius Rect
Helwig

corpus, quod fraudandi animo contrectetur, si non inter-
veniat, furtum non fieri dicitur. *l. 75. h. t.* Qua ratione
elegantè Pomponius ait, falsum procuratorem, qui effe-
cisset, ut sibi vel alij promitteretur, furti non teneri *d. l. 75.*

XXVI.

Res autem putamus alienas: Rei enim propriæ furtum
non fit, nisi quis jus aliquod in ea habeat, ut interfit non
auferri *l. 2. §. in hac actione 22. vi bon. rapt. §. aliquando 10.*
Inst. h. t. l. creditoris 15. §. fin. l. si is qui 59. l. 66. l. cum as 20.
l. 45. ff. h. t.

XXVII.

Corporeas & mobiles: Abolita enim est veterum
quorundam opinio existimantium, fundi locive furtum
fieri. *§. 7. Inst. de usucap. l. verum 25. ff. h. t. l. 38. de usucap.*
& ibi Cujac.

XXVIII.

Etiã minimas. *§. gallinarum Inst. de Rev. divis. l. Pom-
ponius 8. §. 1. ff. fam. hercis. ubi ob columbas ablatas fur-
ti actio datur. l. 1. §. 24. ff. de vi. bon. rapt. Non enim
uti Hieronymus ait in c. ult. 14. q. 6. id quod furto ablatum est
sed mens furantis attenditur, & fur non solum in majoribus sed
etiã minoribus judicatur: Quomodo in fornicatione non idcirco
diversa sit fornicatio si mulier sit pulchra aut deformis, ancilla aut
ingenua, pauperula aut opulenta, sed qualiscumq; illa fuerit, una
est fornicatio: Ita & in furto, quantumcumq; quis abstulerit, furti
crimen incurrit. Differentiæ vero rationem inter furti & de-
dolo actionem, quare hæc non item ob rem minimam de-
tur, exponit nobis Cujac. 19. obs. 12. in fin.*

XXIX.

Res autem quæ domino vel possessore caret, pro alie-
na haberi non potest, atq; adeo nec ejus furtum committi.
l. 6. ff. expol. hered.

Hinc

XXX.

Hinc rei hereditariæ (nisi forte ei auferatur, cui defunctus pignori dederat, aut commodaverat, aut in qua usum fructum alicui constituerat *l. hereditaria 68. cum l. seq. h. t.*) furtum non fieri rectè Julianus contendebat, *l. hereditaria 68. cum seq. h. t.*) & cum eo Scævola eadem motus ratione quod nimirum hereditas possessionem non habeat, quæ facti est & animi. *l. 1. §. Scævola ff. si quis test. liber. Eleganter suo more Dn. Cujac. in l. 80. §. fin. h. t. ad Papin.*

XXXI.

Unde Quæstionem illam, quæ, referente Cicerone, *7. Epist. fam. 23.* inter veteres Jctos Sext. Aelium, M. Manlium, M. Brutum, & Testam Scævola; agitata fuit: Possetne heres, quod furtum antea factum esset, recte furti agere, negativè decidendam esse videmus. *d. l. 1. §. Scævola. l. 2. §. 1. l. fin. ff. expilat. hered. l. 40. de noxal. act. Cujac. in parat. & Recit. solen. C. de crim. expil. hered. & in d. l. 40. ad Julian.*

XXXII.

Ejus quoq; , quod dominus dereliquit, furtum non fit, etiamsi quis furandi animum habuerit, Nec enim furtum fit, nisi sit cui fiat, quippe cum placeat Sabini & Calsij sententia existimantium rem statim nostram esse desinere, quam derelinquimus *l. falsus 43. §. quod si dominus s. h. t.*

XXXIII.

Quæ ratio cum in rebus inventis cesset, recte quoq; dicimus earum furtum fieri, si lucrandi animo quis illas tulerit & celarit. *d. l. falsus 43. §. 8.*

XXXIV.

Quod si vero publicè proposito libello se invenisse & redditurum quis profiteatur, nec inveniatur cujus sit, is

B

paupe-

is Rees
Helwig

pauperibus distribuere, vel etiam sibi retinere potest. *c. nemo*
14. q. 5. Wefenbec. in parat. h. t. n. 10.

XXXV.

Sed an ^{euerga} id est præmia inventionis honestè petere possit non injucundæ quæstionis est? Quod nos cum JC. Ulp. in *l. falsus 43. §. quid ergo 9.* negandum putamus. *Cujac. ii. obs. 18.*

XXXVI.

Uusus REI furtum fit, si res in alios usus quam concessa est, convertatur: veluti si commodatarius rem sibi commodatam alij commodaverit, vel si quis pignore sive re deposita utatur. *§. furtum 6. cum seq. Inst. h. t. l. si pignore 54. ff. h. t.* Sic si sartor aut fullo vestibus utatur, furtum committit. *l. fullo 82. h. t.*

XXXVII.

Quod de Usu dicimus idem quoq; ad Ususfructum porrigendum est. Qui namq; rem in qua alius ususfructum habet, contrectat, & Ususfructus furtum committit. *l. inter omnes 46. §. si servus ff. h. t.*

XXXVIII.

PO'SSESSIONIS furtum fit, si bonæ fidei possessori res surripiatur. *§. item si fullo 15. vers. sed & bonæ fidei Inst. h. t.* Item si rem pignori datam creditori debitor auferat. Eo enim casu furti obligatur, etiamsi se solvere paratum ostendat. *l. 45. pro soc. l. non prodest 5. ff. vi bonor. rapt.*

XXXIX.

Quod adeo verum est, ut ipsi non profit, etiamsi mutato consilio creditori suo eam reddiderit, quandoquidem in tali peccato suâ poenitentia nocens esse non desinat. *l. qui ea mente 65. ff. h. t.*

XL.

Eum tamen, qui debitori moroso rem aliquam æquivalentem

valentem pro suo debito consequendo aufert, furti reum,
non esse verius est. *arg. l. extat. ff. quod met. caus. Cujac.*
in d. l. extat.

XL I.

Forma hujus delicti in ipsa rei fraudulosa contrecta-
tione consistit *l. falsus 43 §. si quis 3, l. inficiando 67. h. t.*

XL II.

Finis est lucrum. Ideo enim fures res alienas furri-
piunt ut lucrum percipiant *l. 44. §. 1. h. t. l. 21. §. 1. ff.*
Rev. amor.

XL III.

Hinc qui fructus immaturos decerpfit, furti non obli-
gari, JC. respondet *l. 27. §. 25. ff. ad l. Aquil. cum malefi-*
cia voluntas & propositum delinquentis distinguat l. qui
injuria in pr. h. t. §. ibid. Cujac. ad Paul.

XL IV.

Lucri facere vero non solum is dicitur, qui rem furto
substractam in suum proprium usum convertit, verum
etiam qui eam alij donat. Lucri enim species est de alic-
no largiri & beneficij debitorem sibi acquirere. *l. si pigno-*
re 54. h. t.

XL V.

Effectus furti in Actionibus & Poenis consistit. *§. sic*
itaq. discretis 14. Instit. de Act. Wesenbec. in parat. h. t. n. 12.

XL VI.

Actiones quæ ob hoc delictum dantur, sunt vel Rei
persecutoria, vel Poenales *d. §. sic itaq.* Ad illas pertinent
Actio ad exhibendum, Rei Vindicatio, & Condictio fur-
tiva *l. 7. de condict. furt. l. 1. de privat. delict. §. fin. Inst. h. t.*
Ad has, Actio furti *d. §. fin. d. l. 7.*

XL VII.

Competit Actio furti non soli domino, sed & ei cujus

B 2

cx

is Reu
Helwig

ex honesta causa interest furtum non fieri *l. 10. l. 11. 12. §. 1. h. t. §. furti 13. Inst. h. t.*

XLVIII.

Interesse vero ejus ex honesta causa dicitur, qui damnum passurus est. *l. 7. §. 1. h. t. vel custodiam rei præstare cogitur. l. 14. §. an pater 10. h. t. veluti Creditor §. unde 14. Inst. h. t. fullo & sarcinator si solvendo sint l. itaq; fullo 12. h. t. §. item fullo 15. Inst. h. t. Commodatarius secundum distinctionem l. fin. C. de furt. & §. qua de fillone 16. Inst. eod. & alij qui recensetur in l. 14. h. t. Cujac, in not. ad d. §. unde 14. & 16. Obs. 30.*

XLIX.

Unde liquet Depositarium furti actionem non habere, cum dolum duntaxat præstet, atq; adeo ejus, si dolo careat, nihil interfit. Quod si dolo fecit, jam quidem periculum ejus est, sed non debet ex dolo suo furti quærere actionem *l. 14. §. 3. h. t.*

L.

Sed nec malefidei possessori furti actionem dari Ulpianus respondet, cum nemo de improbitate sua actionem consequatur *l. itaq; 12. h. t.*

LI.

Eadem ratione in farum persona constitutum est, ne ejus rei nomine furti agere possint, cujus ipsi fures sint. *l. 14 §. 4. l. 76. §. 1. eod.*

LII.

Quæ regula tamen non tam firma est, ut non secundum *Dn. Cujac. in not. ad d. §. unde 14. h. t. obs. 11. 16. obs. 30. 2. Mercat. 28. & 29. & in d. l. 14. §. 4.* duobus casibus, quibus fur furti agere potest, officium suum perdat. Uno, qui est in *l. qui vas §. si ego 4. h. t.* Altero qui proponitur in *l. itaq; 12. §. 2. eod. & Paul. recept. sent. lib. 2, tit. 31. vers. rem pignori.*

pignori. quicquid etiam Robertus 2. recept. sent. 9. & 2. An-
mad. 28. 29. contra disputet.

LIII.

Datur hæc Actio adversus furem non etiam ejus here-
des. l. 1. de privat. delict. §. 2. Inst. de perpet. & temp. nisi lis
cum defuncto fuerit contestata. l. pœnalia 164. de reg. jur. l.
omnes 26. l. 58. ff. de oblig. & act.

LIV.

An autem contra eum, cujus ope consilio furtum fa-
ctum, hæc actio detur, controversi solet? Nos hoc modo
distinguiamus: Aut consilium nudum dedit, nec secuta
est contrectatio, & non tenetur. l. 36. h. t. l. saepe 53. de V. S.
d. §. interdum 11. Inst. h. t. Cujac. in not. ad d. §. interdum.
(Quamvis & non subsecuto furto carcere aliquandiu
quosdam qui consilium furandi dedissent aut operam
fuisse polliciti, punitos fuisse referat Wesenbec. in parat.
h. t. n. 11.) Aut consilium dedit, & secuta est contrectatio
& tenetur l. 52. §. 19. h. t. At opem & consilium simul præ-
stitit & tenetur similitudine supplicij l. 50. §. 1. h. t. d. l. saepe.
Wesenbec. in parat. d. loc. optimè Cujac. in d. l. saepe. quam
tracta. sub l. 28. eod. tit.

LV.

Ex quo satis apparet verba hæc OPE CONSILIO, ex. l.
sape 53. de V. S. disjunctim accipienda esse.

LVI.

Actio ad exhibendum & Rei Vindicatio soli domino
& heredibus ejus conceduntur adversus quemlibet posses-
sorem. §. fin. Inst. h. t. Condictio furtiva soli domino ad-
versus furem heredemve ejus licet non possideat d. §. fin.
l. 1. de condict. furt.

LVII.

Sed an hæc contra furis heredem detur in solidum;

B 3

An

is Reu
Helvig

An vero in id tantum quod pervenit? acriter disputatur.
Illud omnibus placet. Hoc *Dn. Cujacio 7. obs. 37. 13. obs. 37.*
in parat. C. de condict. furt. & ex delict. defunct.

LVIII.

Quem tamen & à communi opinione non alienum
fuisse ex *Recit. Sol. C. ex delict. defunct. & l. sicuti 38. de Reg.*
Jur. manifestè liquet.

LIX.

Quamvis interim non dubitemus, quin & pro priori
opinionem ex illius commentarijs aliquid adferri possit, quo
hunc Legum Antesignanum defendere queamus, impri-
mis cum incognitum nobis non sit, quam eleganter novis-
simè in *l. 5. Rev. amot. ad Papin. & in l. 21. eod. ad Paul.* hac
de re differat.

LX.

Pœna furti pro qualitate ejusdem varia fuit: Furtum
manifestum referente Gellio *lib. 11. c. ult. ex L. 12. tab.* pu-
niebatur Morte naturali vel civili; Nec manifestum pœna
dupli coercebatur.

LXI.

Et quamvis postea asperitas *L. 12. tab.* in furto mani-
festo per Prætores mitigata sit, *arg. pr. Inst. de perpet. &*
temp. ast. Cujac. 11. obs. 38. & surrogata pœna quadrupli, ta-
men jure civili in Pandectas relato fures nonnunquam ul-
timo supplicio affectos esse ex *l. interdum 56. §. qui furem*
ffr h. t. haud obscure elici potest, & *l. pen. ff. de condict. caus.*
dat. manifestissimum est. *Cujac. 9. obs. 37.*

LXII.

Quinimo eò tandem res devenit, ut ij, quibus furtum
factum esset, vel jure ordinario ad pœnam pecuniariam,
vel criminaliter extra ordinem apud præfectum Urbi agere
potuerint. *l. fin. h. t. l. fin. de privat. delict. Cujac. in parat. eod.*

Qua

LXIII.

Qua in re tamen hanc moderationem Justinianus adhibuit, ut extraordinariam hanc poenam ad mortem vel cujuslibet membri mutilationem abscissionemve extendi noluerit, sed tantum ad castigationem porrexerit *N. 134. c. 13. 14.*

LXIV.

Cui Justiniani Novellæ nihilominus novissimâ Imperij Carolinâ constitutione, quâ fures ad patibulum damnantur, derogatum esse videmus. *Peinlich Halsgerichts Ordnung arttic. 157. & seqq.* Quam poenam nec juri divino nec humano refragari putamus. *arg. l. aut facta 16. §. fin. ff. de pœn.*

LXV.

A qua poena fur non liberatur, etiamsi rupto laqueo incolumis in terram ceciderit, *tot. tit. de re judic. l. 51. §. 2. vers. quod si quis, ff. ad L. Aquil. l. 70. §. si id §. ff. de fidejuss. Quemadmodum nec liberari dicimus etiamsi puella vel meretrix eum in maritum petat per text. adductos.*

LXVI.

Hæc jam de furto dicta sufficient. Sequitur nunc altera privatorum delictorum species RAPINA, quæ & improbius furtum dicitur *in pr. Inst. h. t. l. 2. §. 10. ff. eod. l. 14. §. 12. ff. quod met. caus.* & definitur contrectatio rei alienæ fraudulosa & violenta.

LXVII.

Hujus delicti causa efficiens est animus dolosus & violentus *l. 2. §. hac actione 18. h. t.* Unde nec in illos, qui doli incapaces sunt, vi bonorum raptorum actionem dari Ulpianus scribit *l. 2. §. vi bonorum 19. h. t.*

LXVIII.

Quod ipsum & ad eum, qui rem suam, existimans id sibi

*is Reut
Helvig*

libi licere, vel alienam, quam tuam putabat, rapit, extendendum erit. *S. ita tamen Inst. h. t. l. 2. §. 18. ff. cod. l. vulgaris 21. §. 4. de furt.*

LXIX.

Ne tamen hac ratione via inveniretur, qua impunè raptores avaritiam & malitiam exercerent, ideo divalibus constitutionibus nempe Divi Marci *l. extat 13. ff. quod met. caus. l. pen. & fin. ff. ad L. Jul. de vi privat. & Valentin. & Theodosij l. si quis in tantam. C. unde vi. cautum est, ut si quis rem sine iudice occupans, siquidem dominus sit, dominium suæ rei amittat, fiscoq; applicetur Cujac. *Inst. hic.* Sin vero aliena res sit non solum reddat, verum etiam æstimationem ejusdem vim passo præstet. *d. l. si quis in tantam. d. §. ita tamen.**

LXX.

Materia sunt res alienæ *l. 2. 18. h. t. Mobiles §. 1. vers. quod non solum. Inst. h. t. l. 1. 2. C. h. t. Cujac. in N. 63.* Non vero Soli, hæ enim invadi dicuntur *d. vers. quod non solum d. l. 1. 2. Cujac. in parat. C. h. t.*

LXXI.

Forma hujus delicti in violenta contrectatione consistit quâ & à furto discriminatur.

LXXII.

Finis est ut lucri, injuriæ, ultionis, & petulantia gratia rem raptor consequatur *Weseneb. in pr. Inst. h. t.*

LXXIII.

Effectus sunt Actiones & Poenæ. Propria vero hujus delicti actio est vi bonorum raptorum *l. 2. §. 1. & seqq. pr. Inst. eod.* Posse tamen & ex hoc delicto tam manifesti quam nec manifesti furti actione agi cum Cujac. *in l. 80. §. cum raptor. ff. de furt. ad Papin. & 6. obs. 2. concludimus.*

Non

DISPUTATIO JURIDICA
IN AIGUR ALIS

LXXIV.

Non tamen Manifesti & vi bonorum raptorum simul
agi potest. Sed furti nec manifesti & hac actione agi po-
test, ut tamen quod amplius in hac est actor consequatur.
Quod si vero ante vi bonorum egerit ad furti nec mani-
festi recursum non habet *l. 1. h. t. d. l. 80. l. 52. §. fin. de furt.*
Cujac. dd. locis §. 8. obs. 24. §. 20. obs. 25. 26. & Inst. ad h. t. &
in parat. C. h. t. Cætera, quæ ad hujus Q. satis intricatæ
enodationem pertinent, ex *Cujac. ad d. l. 80. §. cum raptor,*
ubi hanc rem elegantissime tractat, in ipsa disputatione
(cum plura hic addere pagina veter) explicabimus.

LXXV.

Hinc Raptorem mitius quam furem non puniri patet
de qua re alias mira inter Dd. est concertatio.

LXXVI.

Est vero hæc Actio Prætoria, personalis, mixta, intra
annum utilem in quadruplum, post annum in simplum,
competens. *pr. Inst. h. t. l. 2. §. 1. & seq. ff. eod.*

LXXVII.

Datur ei, cujus interest rem raptam non esse etiam si
dominus non sit, ejusq; heredi cæterisq; successoribus. *l. 2.*
§. 23. h. t.

LXXVIII.

Sed non adversus heredes quia poenalis est. In id vero
quod ad eos pervenit, ideo Prætor hanc actionem non est
pollicitus, quia conditionem furtivam sufficere putavit.
l. 2. §. fin. ff. h. t.

LXXIX.

Quinimo & pluribus actionibus tam civilibus, veluti
L. Aquilia *l. 2. §. pen. h. t.* Rei vindicatione *d. §. pen.*
conditione triticariâ *l. 1. §. 1. ff. de condict. tritic.* quam
criminalibus *tot. tit. ff. & C. ad L. Jul. de vi privat. & ad*
L. Jul.

no Rec
Helwig

libi licere, vel alienam, quam tuam putabat, rapit, extendendum erit. *§. ita tamen Inst. h. t. l. 2. §. 18. ff. eod. l. vulgari 21.*

L. Jul. de vi Public. Raptore tenentur. Cujac. dictis locis Wesenbec. in parat. h. t. n. 8.

LXXX.

Plane hodie in Imperio Romano Raptore gladij poena afficiuntur. *Veinlich Halsgerichts Ordnung. artic. 126.*

LXXXI.

Succedit nunc tertia privatorum delictorum species DAMNUM INJURIA DATUM, quod definimus delictum quo quis injuriã servum vel animal alterius occidit, vulneravit, vel res ejus rapit. *§. in pr. §. 1. & §. capite tertio Inst. h. t. l. 2. l. 27. §. 13. & postum h. t.*

LXXXII.

Injuriam hic accipimus non pro contumelia, sed pro eo, quod non jure fit. *d. §. 2. Inst. h. t. l. 5. §. injuriam ff. eod.*

LXXXIII.

Cum itaq; vim vi repellere omnes leges omniaq; jura permittant. *l. scientiam 45. §. h. t. consequitur eum, qui sui defendendi causa alium occidit, hac actione non teneri, imò tam foro poli quam fori, uti loquuntur, excusatum esse, secus quam nonnulli veterum Interpp. existimãrunt.*

LXXXIV.

Efficiens hujus delicti causa est Dolus, Culpa lata, levis, & levissima. *l. 44. h. t. l. 13. de lib. caus.*

LXXXV.

Culpam putamus etiam quæ in omittendo consistit. *§. 6. Inst. h. t.* quapropter Medicus, qui servum secuit & curationem ejus dereliquit L. Aquilia teneretur. *l. 8. h. t.*

LXXXVI.

Sed & culpæ annumeramus Infirmitatem. *§. 8. Inst. h. t. Imperitiam §. 7. Inst. h. t. l. 7. §. fin. ff. eod.* Nec enim quis affectare debet in quo vel intelligit, vel intelligere debet, infirmita-

DISPUTATIO JURIDICA
IN AUGURALIIS

7
firmitatem seu imperitiam suam alij periculo samfore *l. 3. §. mulionem 1. h. t. Excessum l. 5. §. si magister 3. cum l. seq. h. t.*
LXXXVII.

Non tamen casum fortuitum præstari necesse est. Unde nec si fune rupto, aut cum à nullo regeretur navis incurrisset, cum domino agendum non esse verius est *l. 29. §. 2. h. t. Cujac. 25. Obs. 20. contra Ant. Fab. 5. conject. 17.*

LXXXVIII.

Materia consistit in duobus L. Aquiliæ capitibus primo & tertio. Secundum enim etiam antiquis in usu esse desijt *l. 27. §. 4. h. t. §. caput 12. Inst. h. t.* quapropter nec de eo anxie inquirere necesse est *arg. l. 1. h. t.* attamen, si aliquid dicendum, merito nobis placet conjectura Cujacij *in parat. ff. & C. h. t.*

LXXXIX.

Primo capite cautum fuit de eo, qui alienum hominem alienamve quadrupedem, quæ pecudum numero est, & gregatim habetur, injuriã OCCIDIT. *in pr. Inst. h. t. l. 2. ff. cod. ad quod etiam referimus mixtas quadrupedes, h. e. quarum natura fera est, & tamen jumentorum operam præstant; veluti Elephanti, Cameli. d. l. 2. §. 2.*

XC.

Tertium L. Aquiliæ caput facilioris intellectu gratiã in tria membra subdistingui potest. Primum agit de servis, pecudibusq; VULNERATIS. Secundum de Quadrupedibus, quæ pecudum numero non sunt nec gregatim pascuntur, veluti canibus, felibus, feris bestijs, & cæteris animalibus omnibus OCCISIS ET VULNERATIS loquitur. Tertium de OMNI CÆTERO DAMNO injuriã dato cavet. *§. capite tertio 13. Inst. h. t. l. 27. §. tertio. 5. & seqq. ff. cod. l. 1. 2. 5. C. h. t. & passim.*

C 2

Forma

is Rees
Helwig

libi licere, vel alienam, quam tuam putabat, rapit, extendendum erit. *§. ita tamen Inst. h. t. l. 2. §. 18. ff. eod. l. vulgari 21.*

XC I.

Forma consistit in ipsa læsione prædictarum rerum prædictoq; modo.

XC II.

Effectus Actionem L. Aquiliæ concernit. Verum cum Actiones negocijs accommodari necesse sit, è re erit, ut & in hac L. Aquiliæ danda actione prius sciamus, quotupliciter damnum inferatur. Et quidem tripliciter damnum dari Justinianus ait: Aut enim quis corpore suo in corpus damnum dat, veluti si manu sua servum occidat & Directa (quæ & civilis appellatur *l. 14. §. fin. de præscript. verb.*) L. Aquiliæ actio competit. *§. cæterum 16. Inst. h. t.* Aut non corpore (occasione tamen corporis) in corpus damnum infert, h. e. corpus lædit, veluti si pecus includat, & id fame ita necet, & Utilis, h. e. ex mente & interpretatione, Legis Aquiliæ actio datur: quæ & in factum dicitur *l. 9. §. 2. h. t. Cujac. in d. §. cæterum.* Aut non corpore, neq; in corpus damnum, sed alio tamen modo alicui damnum dat, veluti si misericordiâ ductus vincitum servum solvat, & eo casu in factum prætoriam conceditur *d. §. cæterum ibid. Cujac. & in l. 7. de pact.*

XC III.

Sed & alio respectu Actio L. Aquiliæ Directa ab Utili distinguitur, de quo agitur *in l. 11. §. 6. 7. 8. & l. 13. ff. h. t. Cujac. 21. obs. 20.*

XC IV.

Datur hæc Actio adversus eum qui damnum dedit ex primo capite in id quanti eo anno, ex secundo quanti triginta diebus proximis res plurimi fuit *in pr. & §. 14. Inst. h. t.*

XC V.

Non solum vero perempti corporis æstimationem habendam placuit, verum etiam ex interpretatione legis, quanti

DISPUTATIO JURIDICA
IN A IUGUR ALI S

quanti interfuit nostra non esse peremptum. *§. illud 10. Inst.*
h. t. l. 21. §. 2. ff. eod.

XCVI.

In heredes autem non competit, quandoquidem pœ-
nales actiones in heredes non transeant *l. pupillum 111. de*
Reg. Jur. §. 1. Inst. de perp. & temp. act. nisi vel lis cum de-
functo contestata fuerit *l. venalia 164. de Reg. Jur.* vel here-
des locupletiores facti sint. *l. 23. §. 3. h. t. l. sicuti 38. de Reg. Jur.*

XCVII.

Deniq; si dolo malo servus occisus sit, non solum L.
Aquilæ actione sed & Publico L. Cornelie judicio de si-
carijs agi potest. uti *Imp. in §. liberum 11. Inst. h. t.* ostendit.

XCVIII.

Quarta Privatorum delictorum species est INJURIA,
quæ est delictum privatum dolo malo homini libero con-
tumeliosè illatum quo vel ipsius corpus, vel dignitas, vel
fama læditur *l. 1. in pr. & §. 2. ff. de Injur.*

XCIX.

Et fit vel Re, vel Verbis *l. 1. §. 1. h. t.*

C.

Illa fit, quoties manus inferuntur, seu quo alio facto
perpetrato aut signo mordenteq; gestu alicui contumelia
infertur *l. 1. §. 1. 2. 3. l. 5. 9. & passim ff. h. t.* Hæc quoties
non manus inferuntur, sed convicium fit *d. l. 1. §. 1.* aut li-
teris famosive libellis æstimatio læditur *§. 1. Inst. h. t. l.*
quod Senatusconsultum 6. ff. eod.

CI.

Distinguiamus Injuriam scriptam à famoso libello, &
quidem ut genus à specie. Omnis namq; famosus libellus
Injuria scripta est, quod *d. §. 1. Inst. h. t. & d. l. quod Senatus-*
consultum 6. fatis manifeste probant. Sed non omnis In-
juria scripta famosus libellus appellari potest.

C 3

Est

is Reet
Felvig

libi licere, vel alienam, quam tuam putabat, rapit, extendendum erit. *S. ita tamen Inst. h. t. l. 2. §. 18. ff. eod. l. vulgaris 21.*

CII.

Est enim Famofus libellus Scriptura, quâ alicui ad ejus infamiam ignominiosum quid dolose obijcitur, veluti fur-tam rapina, adulterium aut ejusmodi aliquid. *l. s. §. 9. ibi ad infamiam & S. seq. ibi in notam ff. h. t. d. §. 1. Inst. h. t. l. un. C. de fam. libell.*

CIII.

Injuria vero scripta est, qua etiam absq; infamiae nota contumeliae saltem causa quis illuditur, veluti si quis luscus, claudus, spurius, mendicus nominetur *Wesenbec. in parat. h. t. n. 8. & 19. Pet. Heig. in §. 1. Inst. eod. n. 6.*

CIV.

De Pictura injuriosa quaeritur ad quam speciem referenda sit. Et sane, quia pictura manifestis indicijs hominem notans non minus quam scriptura loqui videtur, ad verbalem proprius eam accedere putamus.

CV.

Disceptari etiam hoc loco solet: *Utrum provocatus verbalem injuriam in provocantem retorquere possit? Et quin hoc ei licitum sit non dubitamus, modo retorsio non ad vindictam sed ad excludendum convitium respiciat.* *arg. l. ut vim ff. de luss. & jur.*

CVI.

Præfatione tamen honoris (puta fur es, mentiris salvo tuo honore) injuriam non tolli à Dd. concluditur *Geil. 2. Obs. 101.*

CVII.

Causa Efficiens est dolofus injuriandi animus *l. 1. h. t. l. si non convicij C. eod.* Quo fit, ut illi, qui doli capaces non sunt, injuriam non faciant, puta furiosi & impuberes. Eos namq; injuriam pati non facere solere *JCrus respondet. l. 3. §. 1. h. t.*

De

CVIII.

De Ebrío dubitatio suborta est. Nos nec Ebrium, nisi
in atrocioribus ad poenam extraordinariam, obligari existi-
mamus. *c. crapula ext. de vit. & hon. cler. arg. l. un. C. si quis
Imp. mal. Wesenb. in parat. h. t. n. 4.*

CIX.

Porro qui per jocum percutit injuriarum non tenetur
l. 3. §. 3. h. t. l. 15. §. 23. eod. Qui jocus ex personarum qua-
litate detegitur. *arg. l. 16. §. 2. de pœn. Cujac. in l. 3. in fin. de
O. & A.*

CX.

Materia sunt Personæ injuriæ affectæ. Afficiuntur
vero vel ipsæ directò, vel per consequentias in his, qui po-
testati earum vel affectui subjecti sunt *l. 1. §. 3. ff. h. t.*

CXI.

Forma in modo inferendi injuriam consistit.

CXII.

Finis est ut alicujus corpus dignitas, vel honesta fama
contumeliosè lædatur. *l. 1. l. 3. §. h. t.*

CXIII.

Effectus consistit in Actionibus ex hoc delicto descen-
dentibus, de quibus agit Imp. in §. pœna 7. §. sed & lex 8. &
Jcius in l. qui Senatusconsultum 6. l. 37. ff. h. t.

CXIV.

Agitur vero ex omni injuria vel civiliter vel crimina-
liter §. in summa Inst. h. t. Civiliter quando injuriatus inju-
riam ad animum revocatam æstimat, sibiq; poenam adju-
dicari petit *d. §. in summa. d. §. pœna 7. Wesenbec. in parat.
h. t. n. 14. Geil. 1. obs. 65.* Criminaliter cum corpori injuria-
tis poena infligi petitur vel fisco applicari *d. §. in summa We-
senbec. d. loc. & in parat. ff. de privat. delict. Geil. d. loc.*

Hinc

2 Rec
Felvig

libi licere, vel alienam, quam tuam putabat, rapit, extenden-
dum erit. §. ita tamen *Inst. h. t. l. 2. §. 18. ff. eod. l. vulgaris 21.*

CXV.

Hinc dubium moveri solet. An actio ad *Palinodiam*
auff einen wiederruff/ sit criminalis an vero civilis. Nos po-
sterius affirmandum putamus. Wesenbec. in parat. h. t. n. 18.
Geil. d. loc.

CXVI.


Dantur autem hæ actiones non solum adversus eum
qui fecit injuriam, sed etiam qui mandavit & procuravit.
§. non solum 11. Inst. h. t. l. 11. §. 3. ff. eod. At non in heredes
neq; heredibus l. injuriarum 13. ff. pr. h. t. Nisi lis sit cum de-
functo contestata l. 28. ff. h. t.


CXVII.

Exstinguitur Injuriarum actio morte. *l. si eum 10. §. qui*
injuriarum 2. ff. si quis caus. jud. Dissimulatione. §. fin. Inst.
h. t. l. 11. §. 1. ff. eod. Præscriptione unius anni & quidem
utilis. Sed hoc tantum de Prætoria verum est. §. 1. Inst. de
perpet. & temp. l. si convicij. 5. C. h. t. Geil. 2. Obs. 105. Mynsing.
cent. 5. obs. 7. Eam namq; quæ ex L. Cornel. descendit
perpetuam esse existimamus Duar. ad h. t.
c. 2. Mynsing. d. loc.



35. Coelestino, De potestate tutoria.
36. Coelestino, de rerum divisione
37. Coelestino de acquirendo ^{reum?} dominio.
38. Aglus, de militia romana.
39. Hane, sermones de tempore.
40. Jensen, de usu fortium in eligenda thalami consorte ad modum temerario pauca praefatus. etc.
41. Scharf, de coronatione imperatoria.
42. Scharf. de his quae quibus ac privilegiis fisci perperam accensentur.
43. Scharfenberg, de testamentis ordinandis.
44. Scharfenberg, de emptione et venditione.
45. Schaumburg, de testamento nuptiarum.
46. Ciesio, sociographia iudicii militaris criminalis ordinarii vulgo mersice — Rirings Gerüst.
47. Olafen, de actionibus.





DE ACTIONIBUS.

Medic. par. 2. qu. 2. n. 14. de Casib. fortuit. Priori
L. Aquiliae. Thomæ c. 19. n. 23. de Noxia animal.
actu ipso nocuerit l. 42. ff. de Edilit. Edict. & qu
læsi. Nam solum factum habendi animal ferox
cam ad pœnam non obligat. Gloss. ad l. 41. ff. de A
vis solum obliget, si quis juxta viam publicam h
vel suspensam, cujus casus nocere possit. §. 1. In
si del. nasc. l. 5. §. 11. ff. de his, qui effud. Quando
Edilit. condemnatio fieri possit, tamen illam
probatio tam de damno facto, quàm de eo,
circa viam publicam fuerit habitum. Quæ pr
munem probandi modum per duos testes est fa
de Testib. Ipsa condemnatio pro diversitate nox
fa. Aut enim damnum datum est in persona
in rebus.

Priore casu distinguitur ulterius: aut no
homini, & tum condemnabitur dominus anim
bonum & æquum fuerit visum, §. fin. Inst. h. t.
Edict. computatis subinde mercedibus, quæ in
gata, ut & impendiis in curationem factis, n
bus caruit læsus & cariturus est. Aut liber homi
ex hoc Edicto est popularis, quæ etiam compe
quam hæredi, sed ut uni de populo, quantum v
re volunt, præferatur. Fiet autem condem
solidos, l. 42. ff. de Edilit. Edict. qui non tanqu
poris liberi, sed tanquam mera pœna actori ap
tur, l. 5. §. 5. ff. de his, qui effud. Aretin. ad §. 2.

Posteriore casu Reus condemnatur in dupl
ult. ff. h. t. quod juramento actoris definiri pot
vi. aut deficiente juramento à judice æstimari
20. n. 8. p. 153. de Noxia Animal. Tandem paucis e
quid actio Edilitia cum actione de pauperie co
folet actionum concursus in Cumulativum &
lativum dicitur non ratione libelli, sed ratione e
ctus, quod actor duas actiones in solidum ita p
una alteram neque tollat, neque diminuat.

U 3

157

actio. §. 2.
ferox
pam
publi
nam
itam
qua
dicto
lebet
ferox
com
extra
liver
, aut

libero
judici
Edilit.
t ero
, qui
actio
n tan
i age
entos
p cor
sidera
42. §.
unde
mas c.
num
tingui
Cum
c effe
e, ut
ando
actori

